

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

II. De jubilo et concertu summae trinitatis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

LIBER PRIMUS  
DE OMNIUM PRINCIPIO ET HOMINIS  
CREATIONE; ET DE EJUSDEM REDEMPTIONE.

I. [DE QUINQUE DEUS LAUDATUR. OBLATIO PRO PECCATIS.]

**O**SUMMA et ineffabilis divinitas, melliflui roris distillatio! O delicate flos, Virginis matris exultatio! O fertilis, vernantis pulcherrimique floris fructificatio! O sacro-sancta æterni Patris acceptissima oblatio! O fidelis et copio-sissima totius universitatis redemptio! Tu es, Domine, animæ meæ dulcissima refectione, et in te latet meæ ariditatis refloratio. Tu es mihi modicus tuæ dignationis parvitiati, et ego tibi grandis miseriarum mearum innumerabili pravitati. Offero oculis tuæ majestatis quotidie meam qua plena sum iniquitatem: tu superfunde propitius tuam qua exuberas dulci-fluam charitatem, ut in tua laude inchoata secundum tuum placitum perficiamus, et tuæ æternitatis gloriam consequamur.

V. 20.

II. DE JUBILO ET CONCENTU SUMMÆ TRINITATIS.

**P**RINCIPIUM et princeps Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sibi ipse sufficiens et nullius indigens, in seipso deliciis afluxens et redundans, delectabatur antequam quidquam faceret, cui suæ dulcedinis abundantiam communicaret, qua feliciter frueretur.

V. 26. Audi nunc sanctam Trinitatem gloriantem in sua increata sapientia, infinita clementia, æterna veritate, et interminabili æternitate. Audi nunc dulcissimum, [altissimum], jocundissimum Trinitatis jubilum, quo in seipsa concinit plena voce, de quo etiam universa suavitas sacrorum insonuit eloquorum, [quæ unquam in cœlo et in terra sunt decantata et adhuc in æternum decantabuntur.] Intonat itaque auctor omnium Deus Pater : « Ego sum fons effluens, cuius nunquam emanatio obturatur. Infelix tamen homo culpas suas objicit, ne sine labore laborans inquieta divinitas [animam] influat et fecundet. » Filius sic succinit modulando : « Ego sum thesaurus regrediens, quem nulla creatura a suo regressu prævalet cohibere. » Omnis enim liberalis donatio in cuncta procedens a Domino, in idipsum revertitur in Filio. Spiritus quoque Sanctus concinit dulci voce : « Ego sum virtus veritatis invicta, quæ manifestatur in homine laudabiliter cum Deo perseverante, tribulatione qualicumque irruente. » Tota autem Trinitas hunc personuit jubilum : « Ego sum in mea sic indivisa firmus unitate, cuius dividi nequit soliditas, nec frangi valet æternitatis integritas. »

### III. DE IGNIS DIVINI INEFFABILI VIRTUTE ET MIRABILI EFFECTU.

VI. 29.

DEUS noster ignis consumens est, sursum tendens super omnem creaturam ineffabiliter, sine fine dulciter semper ardens. Hic tamquam vitalis calor æternam in se continens vitam, ex se protulit universa. Hujus ardentissimi ignis scintillæ volantes, sunt supernorum lucidissimæ spirituum claritates ; radii vero sunt Sanctorum omnium deifici splendores, quibus sanctam Ecclesiam dum viverent mirifice perlustrarunt. Hujus ignis carbones vivi sunt omnes justi, qui in hac vita adhuc positi amore divino ardent, et conversatione proximis lucent, per quos, si quorum refriguit charitas, si valuerint, denuo accenduntur *et filii lucis efficiuntur*. Hujus ignis cineres sunt corpora Sanctorum *qui ex hoc sœculo transierunt*, qui adhuc in pulvere dormiunt, expectantes beatam spem et adventum magni Dei